Quelle: https://manuscripta.at/?ID=377
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

lestis dat. pacem inter corpus et animam efficit. ignem spiritualem in corde succendit. Contra omnia uitia sollicitudo est. certamen bonum cotidie est. Radicem omnium malorum expellit. sic lorica induit. sic galea defendit. Spes salutis est. consolatio doloris. refectio laboris. noticia ueri luminis. fons sanitatis. Hominem iuuenem castigat. regnum dei super terram dat. tedium anime detrahit. tuba mirabilis est. Qui diligit canticum psalmorum assidue. non potest peccatum agere. Qui habet laudem dei in corde suo. in postremo apud dominum gaudebit et animam suam in celo mirificabit. Quid enim in psalmis non inuenitur quod proficiat ad utilitatem ad edificationem humani generis. Omnis etas in psalmis habet quod inueniat. habet quo delectetur. Habet infans quo lactetur. puer quod laudet. adolescens in quo corrigat uitam suam. iuuenis quod sequatur. senior quod precetur. Discit femina pudiciciam. pupilli inueniunt patres. uidue iudicem. pauperes protectorem. aduene custodem. Audiunt reges et iudices quod timeant. Psalmus iste consolatur. leuem temperat. iratum mitigat. inertes suscitat. fastidiosos oblectat. peccatores ad lamenta prouocat. pauperem recreat. diuitem ut se agnoscat increpat. Omnibus omnino suscipientibus se aptam medicinam contribuit. nec peccatorem et errantem despicit. sed remedium ei per penitentiam salubriter ingerit. Psalmus suauis auditus. dum canitur prouidet spiritus sanctus quemadmodum homo saluetur. Anna psalmorum carmina retinens phanuelis filia de templo domini nec die nec nocte discessit. Hunc pueri in camino ignis ardentis modula uociferatione canebant. Et non solum ipsi. sed et omnis creatura deum laudare manifestatur. In his carminibus suauis modulatio continetur. In psalmis enim deus ostenditur. simulacra irridentur. fides asseritur. perfidia refutatur. iusticia dirigitur. incredulitas abdicatur. ueritas requiritur. mendacium dampnatur. dolus accusatur. innocentia commendatur. superbia deicitur. humilitas sublimatur. predicatur patientia. pax sequenda promittitur. contra inimicos protectio postulatur. uindicta promittitur. spes certa nutritur. mundus contempnitur. deus inuenitur. tribulatio et angustia finitur. requies et pax inuenitur. uitaque eterna. et quod omnibus his excellentius est. Christi sacramenta cantantur. Hec sunt cantica que canit ecclesia. hec est gloria in qua sancti exultant cum Christo. Amen.

IN NOMINE domini nostri iesu christi. Incipit liber de decada domini AVGVSTINI AVRELII. A PSALMO PRIMO. BEATVS VIR. VSQVE AD QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Liber sancte Marie in Niuenburch. Si quis abstulerit anathema sit.